

dam speciosissimorum hominum, ultra humanam ælimationem, cantus alternatim suavissimos concinentium, turba vehementissima miro ordine veniebat.

Deinde binatim omnes ad altare procedentes, & ibidem flectentes genua, ad sedendum singuli se ponebant. Cùmque illorum hominum Ecclesia esset valde plena, post omnes duo viri eminentiores cæteris, in toto similes atque pares, in finito sole lucidiores, stola induiti candidissima, auro & gemmis undique ineffabiliter rutilante, venientes ad Ecclesiam pariter intraverunt. Ad quorum introitum, omnes in Ecclesia residentes, protinus flexis genibus, eisdem summam reverentiam persolverunt. Tunc duo illi viri ante altare ab eisdem reverentia exhibita, in duabus cathedris aureis, mira lapidum preciosorum varietate & pulchritudine decoratis, sibi à quibusdam pulcherrimis juvenibus præparatis, ambo pariter confederunt, & sic flectentes aliquantulum permanerunt. Interim factò inter illos silentio, cœpit alter eorum duorum alterum impellere ad loquendum.

Cùmque longa adinvicem altercatio oriretur, ut quis primò inciperet prædicare, cœperunt singuli, ut Hieronymus Joannis, cujus erat in die illa solennitas, laudes & magnificentias explicaret, magnis vocibus acclamare. Quo unus illorum sermonem mox incipiens, laudes beatissimi præcursoris Domini, tanta loquelæ dulcedine, tantòque verborum ornatu, necnon & sententiæ gravitate contexit, quod fas non esset linguæ hominum declarare.

Finito itaque sermone illo: alter, quem Joannem Baptistam cuncti qui aderant nominabant, eidem gratias referens multiplices: hæc circumstantibus, ad ejus honorem & gloriam est locutus. Socius iste meus charissimus Hieronymus, æqualis mihi in gloria, æqualis etiam in sanctitate, seriem nearum laudum est hæcenus profectus: idcirco dignum est ut ejus laudibus nunc insistam. Hic verè lux est Ecclesie, tenebras effugans errorum, & cunctos illuminans homines veritatis claritate cæcos. Hic fons est aquæ sapientiæ salutaris, ad quem sitientes dum accedunt, largissimè satiantur. Hic arbor altissima, cujus cacumen cælum ascendit: sub cujus doctrinæ frondibus, de suavi ejusdem oris fructu, aves cæli, scilicet homines multum intelligentes: & bestie terræ, scilicet homines parum intelligentes, uberrimè satiantur. Hic mecum fuit in sæculo Eremita: certè non minus me carnem abstinentiis maceravit. Hic mecum virgo nitidus, atque purus. Hic mecum fuit propheticò spiritu illustratus. Hic mecum doctor exiit veritatis.

Ego propter justitiam & veritatem, vitam corpoream dereliqui. Hic est non amiserit vitam corporalem propter justitiam & doctrinæ suæ perspicacissimæ veritatem: tempus suum ramentum gessit in sæculo in martyrio, afflictionibus, & dolore. Ego Christianæ fidei præcucurri nunciator & gentium invitator: hic postmodum veniens, ejusdem exiit sustentator: & ab hæreticis eandem lacerantibus defensor. Ego semel in baptisate manibus propriis Christum Dominum tetigi in Jordane: hic ipsum non solum manibus propriis habuit multoties in altari, sed & ore proprio manducavit. Hic mihi in sanctitate per omnia fuit æqualis: nunc vero æquali ambo vitæ æternæ præmio insimul congaudemus. Hæc & alia multa prosequente beato Joanne, quæ idem beatus Cyrillus non potuit totaliter memoria commendare, jam hora diei prima adveniente, Ecclesiam custos intrans, Episcopum intuitus dormientem, eundem manibus excitavit.

Expergefactus itaque pontifex, stupore & admiratione & gaudio admodum plenus: quæ viderat, custodi cum lachrymis enarravit. Deinde illo die missam solennissimè celebrans, visionem mirabilem omni populo declaravit. Sunt infinito plura, quæ dici possent, miracula verissima & utilia enarranda, quam ea quæ in brevi hoc opusculo sunt inscripta. Sed ne prolixitate operis aliquid legentibus tædii oriatur, uno solo miraculo quod nondum expleto mense in Bethleem peractum est perfectò huic operi finis erit.

Die dominico tranfacto, post octavas Pentecostes, omnibus meis suffraganeis Episcopis, & multitudine maxima, tam virorum quam mulierum in Ecclesia, in qua sanctissimum quiescit Hieronymi cadaver, insimul congregatis, honore debito & veneratione tam debita, quam devota: primò egomet sacris indutus vestibus ad locum foveæ in qua corpus venerandum jacet accedens, terram cœpi effodere sepulture, quatenus sacratissimum illud corpus inde

ablutum, in tumulo marmoreo mira pulchritudine undique decorato, quod hæc de causa fuerat fabricatum, postmodum poneretur. Cùmque jam fovea foret vacua, cunctis cernentibus, corpus beatissimum in medio foveæ, tanquam in aère à nulla parte terram tangens permanebat integrum, nec corruptione aliqua violatum. Quod inde elevantes, cum odore tam vehementissimo & suavi, quod talem olfactus hominum nunquam sensit, collocavimus in altari: quatenus à populo reliquiæ sanctissimæ viderentur. Quot autem illo die, me cunctisque qui aderant stantibus, sint peracta miracula gloriosa, explicare ea nullatenus compos esse.

Cæci sedecim illas reliquias tangentes facie, visum protinus receperunt. Tres præcipuè demoniaci catenis vincti, in illam Ecclesiam plurimorum hominum manibus deportati, sunt protinus liberati. Mulieris cujusdam viduæ pauperculæ puerulus, ejus unicus filius, in Ecclesia fuit præ gentium multitudine suffocatus. Quem mater inveniens, dolens & lugens, mox in ulnis pueruli cadaver ad foveam in qua sepultum fuerat corpus Hieronymi gloriosè deferens, eum in foveam projecit, hæc dicens verba: Sancte Hieronyme gloriose, hinc non recedam, donec restituas mihi unicum meum filium quem amisi. Mirabilis certè Deus in sanctis suis, dolens prodigia insueti. Statim ut terram extincti pueruli corpus tetigit, eidem anima est conjuncta.

Quidam vir corpus cujusdam sui filii, de sepultura in qua per triduum steterat, extractum mox ad foveam illam detulit, & illud in foveam sic projecit. Qui juvenis, fuit illi cò vitæ pristinæ restitutus. Innumerabilia penè sunt miracula, quæ peracta sunt à mane usque ad vespères: quo quidem tempore gloriosum Hieronymi corpus dissepultum in altari exiit collocatum. Sed tamen ad hujusmodi miracula ulterius non procedam: unum quod nocte sequenti accidit, non silebo. In hora siquidem vespertina, corpus illud sacratissimum in monumento quod præparavimus, posuimus. Sed mane monumentum vacuum fuit inventum, & corpus sanctissimum foveæ pristinæ invenimus restitutum. Quod dum ego plurimum admirarer, nocte sequenti, mihi dormientem, beatus Hieronymus apparet in visione, plurima mihi grandia patefecit. Sed inter cætera, talia mihi verba dixit: Noveris Cyrille, quod corpus meum de fovea in qua jacet, nullatenus extrahetur, quousque civitas Jerusalem ab infidelibus capietur. Quo quidem tempore Romam delatam, ibidem multo tempore requiescet.

Ad hæc expergefactus, quæ videram, cunctis Episcopis & aliis viris Catholicis enarravi. Quid & quando hæc evenient, aliter non agnosco. Si quid utile, non in hac Epistola dixi, non meis, sed gloriosissimi Hieronymi meritis imputetur. Si quid vero superfluum, inutile & non bonum, solum meæ insipientiæ & negligentie causa hoc accidisse, ab omnibus judicetur. Mei Augustine charissime, in tuis orationibus memor esto.

CENSURA HISTORIÆ SEQUENTIS.

Hanc historiam parum respondere tanti viri meritis, indicatum est & ab aliis ante nos. Nec omnino nenas hujusmodi verius quam libros eram edituri, nisi quemadmodum dixi, decretum fuisset, nihil omittere, quod vel eruditus desideraret lector, vel inerruditus.

VITA DIVI HIERONYMI, incerto auctore.

PLEROSQUE nimirum illustrium virorum non ambigo nosse, quo natus, quibusque doctoribus, quibusve eruditus sit literis, quo denique quiescat sanctus Hieronymus loco. Verumtamen quibus non vacat, vel legere plurima non valent, hoc si voluerint opus compendiosa brevitate poterunt scire.

Beatus igitur Hieronymus, nobili genere ortus: patre verò Eusebio nomine: oppido Stridonis: quod à Gothis eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit. Congruè scilicet Eusebio generatus est patre. Eusebius namque Congruæ Atticè, Romanè dicitur pius. Hieronymus quoque Æolicè, Latine omnino sacra lex intelligitur. Jure igitur Hieronymus, id est, sacra lex, de pio gignitur patre: ut

studio ejus labore ex Hebræorum scriptis absque scrupulitate, alma pateret lex, quæ humano generi, sua austeritate remota, pium ac sacrum, misericordemque patrem nunciaret venturum. Qui cum dudum inter pueritiam adolescentiamque incederet medijs, instinctu tactus cœlesti, affinis cunctis, censuque paterno relicto: ut perfectus Evangelii imitator quivisset existere, ingressus navem, aura flante secunda, ad limina sublimium Apostolorum Petri & Pauli, divina dispensante clementia, Romanam adiit urbem. In qua videlicet literis Græcis & Latinis diligenter apprime eruditus, & Christi vestem suscipiens, presbyter quoque Cardinalis ibidem est ordinatus.

Nam ut inexpugnabilem suæ Ecclesie Dominus murum contra perfidos dementisque hæreticos erigeret, huic viro in literarum studijs plerique cathageta, id est, præceptores fuere. Donatus nempe artigraphus, Romanis cum imbuentis elementis, liberaliumque artium lapore sufficienter replens magister exiit illi, sicut ipse in Chronica sua meminit, dicens: Victorinus rhetor, & Donatus grammaticus, magistri & præceptores mei, Romæ insignes habebantur. Gregorium namque Nazianzenum (ut idem in tertio explanationum Italicæ referre libro) didascalum, id est, magistrum suum fuisse testatur. Nam cum in prædicto Propheta ad eum venisset locum, in quo de Seraphim quiddam debuisset exponere, ita intulit, dicens: De hac visione ante annos circiter triginta, cum essem Constantinopoli, & apud viros eloquentissimum Gregorium Nazianzenum præceptorem meum, tunc ejusdem urbis Episcopum, sacrarum scripturarum studijs erudire: scio me brevem dictasse subitumque tractatum, ut experimentum caperem ingenio mei, & amicis jubentibus obedirem.

Quid verò de hujus viri eleganti industria, quam erga Latinos, & Græcos, Hebræos, & Arabicos, Chaldaeosque in discendo elementorum apices habuit, præstantius dici potest, quam ipsius ad Pammachium & Oceanum missa profertur verba dicentis: Dum essem, inquit, juvenis, miro discendi ferebar ardore: nec juxta quorundam præsumptionem ipse me docui. Apollinarium audiui Antiochiæ frequenter, & colui: jam tunc cum me in scripturis sanctis erudiret, canis spargebatur caput: & magistram potius quam discipulam decebat. Perrexit tamen Alexandriam, audiivi Didymum: in multis ei gratias ago. Quod nescivi, didici: quod sciebam, illo docente non perdidici. Putabant me homines finem fecisse discendi. Veni rursum Jerusalem & Bethleem: quo pretio, quo labore Barababanum Hebræum nocturnum habui præceptorem: Timebat enim Judæos: & mihi alterum exhibebat Nicodemum. Hæc itaque contuli: ut qui scire cupiunt, nosse queant, sicut prædixi, quo natus loco, quibusve tantus vir magister fuerit informatus.

Commotans itaque Hieronymus Romæ, mentis corporisque virginitatem, & delictorum penitentiam custodiens, fidelibus prædicabat. Multaque juxta Septuaginta librorum volumina atque psalterium emendavit, Apostolicæ sedis Liberio præfidente pontifice. Ea proculdubio tempestate Romanum populum per Constantium Augustum Ariana hæresis maculabat. Idcirco ergo prædictus vir, occasione quam semper optaverat accepta, ut superius est dictum, relicta domo, parentibus, sorore, cognatis, & incluta ac gloriosissima Petri urbe: corpus & sola tantum ferens quæ itineri utilia esse valere, una cum bibliotheca quam summo studio in præfata confecerat urbe, Jerusalem propter regnum juvenis militatus advenit.

Postquam verò omne mundanarum literarum studium adeptus est, probatissimorum quoque monachorum habitum, factumque imitatus est. Cupiditatem siquidem animi jugi sinceritate calcans, voluptatemque corporis perenni frangens jejunijs, plerisque bonorum religiosorum, meliores fore suo docuit instituto. Quodam igitur tempore, cum ex more idem Hieronymus, divina ad legendum panderet volumina: & immortalem bibliothecæ suæ auctorem recordaretur Tullium: mox cœlitus nates quandoque revolveret libros, salutifero castigatus est verberè. Ita enim ipse de se ad Eustochium scribens asserit.

Cum ante annos plurimos, domo, parentibus, sorore, cognatis: & quod his difficilis est, consuetudine laurioris cibi propter cœlorum me regna castralem: & Jerusalem militatus pergerem: bibliotheca quam mihi Romæ summo

studio ac labore confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post nocturnum crebras vigilijs, post lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum, ex imis visceribus eruebat, Plautus fumebatur in manus. Si quando in memet reversus Prophetas legere cœpissim: sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam: non oculorum putabam culpam esse, sed folijs. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme quadragesima, medullis infusa febris, corpus invasit exhaustum: & sine ulla requie, quod dictu quoque incredibile est, sic infalicia membra depasta est, ut ossibus vix hærent. Interim parabantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto frigefcente jam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpabat: cum subito raptus in spiritu, ad tribunal judicis pertrahor, ubi tantum luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris: ut projectus in terram, fuscum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui prædebat: Mentiris ait: Ciceronianus es, non Christianus. Ubi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Illico obmutui: & inter verbera (nam me cædi jussit) conscientie magis igne torquebar: illum mecum versiculum reputans: In inferno autem quis confitebitur tibi: Clamate autem cœpi, & ejulans dicere: Miserere mei Domine: miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præfidentis genua provoluti qui astiterant, precabantur ut veniam tribueret adolescentie: & errori locum penitentia commodaret: exacturus deinde cruciatum, si gentium literarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi: & nomen ejus obtestans dicere: Domine, si unquam habuero codices sæculares: si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus, revertor ad superiores: & mirantibus cunctis, oculos aperui: tanto lachrymarum imbre perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud ante quod jacui. Testis triste iudicium, quod timui. Ita mihi nunquam contingat talem incidere questionem. Livoribus habuisse me plenas scapulas, plagas sensitissimè per somnium: & tanto dehinc studio divina legisse, quanto mortalia antè perlegeram.

Idem igitur Hieronymus, quod prætermiseram, dum in Romana adhuc esset urbe, os Damasi papæ, & sacre bibliothecæ scrutator, divinatorum disertor voluminum: dum per triennium continuum, charus, acceptusque popularibus veneraretur: omniumque judicio pontificatu dignus decerneretur: ordinatusque a præfato papa presbyter cardinalis, ut superius scriptum est, fuisset: quidam ex clericorum, monachorumque ordinibus, pro petulantia, ingluviæque discursantes, ad effugandum de urbe eundem Hieronymum: qui utrorumque eorum scribens vitia, eos reprehenderat, insidias paraverunt.

Verum enim verò hunc ego felicem dixerim: hujus fugæ eventum, corrigentis Christi judicio potius dispensatum, quam pravorum hominum persecutionibus paratum fore existimo, scilicet ut Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omnium veteris testamenti librorum Christo Deo volente, & Hieronymo spirituali studio desudante, Hebraicam quoque haberet veritatem, & Græcorum quorundam levitas, quæ sibi à Deo omnes scripturas divinitus inspiratas accepisse laudebat, eos habere, quod ipsa non habet, recognoscat.

Igitur Hieronymus, ut jam dictum est, Roma egressus, ad Orientem tendens, profectus est ad Gregorium Nazianzenum, Constantinopolitanæ urbis Episcopum: ubi ita proficere studuit, ut sanctarum scripturarum studijs erudiretur: & supplex, docilisque discipulus, adiit præceptorem: eumque in Constantinopolitana urbe observabat. Hoc discipulatu Hieronymus peracto, in Syriam perrexit: & dum in possessione Evagrii presbyteri moraretur, Malchum monachum aliquando captivum reperit: percunctatusque eum, omnem ejus captivitatis didicit historiam, quam postea edidit, scriptamque Romanis fidelibus misit: hæc in istius historie inferens prologo: Scribere, inquit, disposui: si tamen Deus vitam dederit: & si vituperatores mei saltem fugientem me, & clausum persequi desierint.

Ad deserta deinde loca, ad quæ olim ob agendam inibi penitentiam properare cupiebat, ita latus accinctusque accessit, ut volasse eum magis quam measse crederes. Quomodo